


De lateribus & angulis triangulorum plano-  
rum rectilinearum. Cap. XIII.




I.

Trianguli datorum angulorum dantur latera. Sit inquam, triangulum  $ABC$ , cui per quintum problema quarti Euclidis circumscribatur circulus. Erunt igitur &  $AB, BC, CA$  circumferentiæ datae, eo modo, quo  $CCCLX$ ; partes sunt duobus rectis æquales. Datis autem circumferentijs dantur etiam latera trianguli inscripti circulo tanquam subtensæ, per expositum Canonem, in partibus, quibus dimetiens assumpta est  $200000$ .



II.

Si uero cum aliquo angulorum duo trianguli latera fuerint data, & reliquum latus cum reliquis angulis cognoscetur. Aut enim latera data æqualia sunt, aut inæqualia. Sed angulus datus aut rectus est, aut acutus, uel obtusus. Ac rursus latera data datum angulum uel cōpræhendunt, uel non compræhendunt.



Sint ergo primum in triangulo  $ABC$  duo latera,  $AB$  &  $AC$ , data æqualia, quæ angulum  $A$  datum compræhendunt. Cæteri igitur, qui ad basim  $BC$  cum sint æquales, etiam dantur, uti dimidia residui ipsius  $A$ , è duobus rectis. Et si qui circa basim angulus primitus fuerit datus, datur mox ipsi cōpar, atq; ex his duorum rectorum reliquus. Sed datorum angulorum trianguli dantur latera, datur & ipsa  $BC$  basis, ex Canone in partibus quibus  $AB$  uel  $AC$  tanq; ex centro fuerit  $700000$ , partium siue dimetiens  $200000$ , partium.

III.

Quod si angulus, qui sub  $BAC$  rectus fuerit datus compræhensus lateribus, idem eueniet. Quoniam liquidissimū est, quod quæ ex  $AB$  &  $AC$  fiunt quadrata, æqualia sunt ei,

